



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

LIII. De opinionum laxitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

bonum perfecta contritio necessaria esset, in illa verò
bona contritio cum Sacramento, non tamen propre-
riè gratiæ divinæ amorem proferbit, ut solum
contritio admittat: nempe in justificatione divina
conferuntur, divini scilicet amoris principii,
cum gratiæ aeternæ auxiliis conjunctum, quibus
amandū Deum excitatur & adjuvatur; cum
gratiæ aeternæ ad Dei amorem plurimum conse-
cratio illa in lege gratiæ longè facilius sit, quàm
in lege scriptæ; inde, si fallor, rectè deducitur, in lege
scriptæ, longè majora esse subsidia divini amoris
esse, quàm in lege scriptæ; quare haud im-
mense amoris dicta est, cum tamen lex scripta, lex ti-
moris dicitur; in hoc haud dubiè, inferior, quod
nullum Sacramentum haberet, vi cuius, homo adul-
terii careretur, & divinas illas virtutes acciperet,
quas noster Sacramentorum usus, in lege gratiæ,
Dei nobis infundit; non valet igitur Adversariorum
consequenter, quæ eo, quod per attritionem cum
Sacramento in lege gratiæ justificemur, deducunt,
deum amari in lege gratiæ minus consilium esse,
quàm in lege scriptæ, contrarium potius deducendū
esse; cum enim in lege gratiæ homines facilius justi-
ficentur, quæ, & cum in justificatione, divina cha-
ritas infunditur, inde sequitur, divini amoris usum
faciliorem esse; sed frustra in his hæreo, quæ nullam
habent difficultatem.

CAPUT LII.

De amore Dei.

Ordines Societatis eximunt homines ab obli-
gatione amandi Deum, docentque hominem
salvum salvari posse, qui per totam vitam,
nullam actum amoris erga Deum elicerit.

RESPONDETUR.

Ordines Theologi agnoscunt, admittuntque
obligationem amandi Deum, hominibus imposi-
tam, non tamen conveniunt de tempore, quo præce-
ptum amandi Deum obligat: dicunt omnes, hominè
teneri amare Deum, sed nemo certò statuit tempus,
quo amare tenetur, varii varia dicunt, idque probabili-
ter, illi tamen opinio mihi præ cæteris placet, qui
dicunt, hominem teneri, cum gravis aliqua tentatio
animum illius pulsaret; tunc enim bonum sensibile sen-
sus nostris maxime afficitur, quo fit, ut ratio valde tur-
batur de cæcitate, voluntas titubet, & viribus ad resi-
standum necessariis careat, nisi Deus obiectum ali-
quod ipsi offerat, vel maxime formidabile, ut crucia-
tiones; vel maxime amabile, divinam scilicet
bonitatem, quo subortæ passionis motus reprimatur,
& tentatio urgente, divinæ gratiæ illapsu,
Deus ad divinum amorem, voluntatem meam exci-
tat; probabile est, me teneri ad actum amoris elicien-
dum, ut ad obiectum tentationis animum avertam: non
dico, quin si, qui graves tentationes idem tamen su-
per, crebros divini amoris, quem appetitativum
vocat, actus exerceant, etiam incogitantes, propter
communionem, quam maxime sentiunt, in bonum sensi-
bilem perpenionem.

CAPUT LIII.

De opinionum laxitate.

Magis laxiores & liberiores opiniones excogita-
re, non sine morum corruptela; nihil enim ferè
quod secundum Casuistas, modò non liceat,
cum dumtaxat præceptum intactum ab iis relictū
est, quæ suis explanationibus penitus tollunt.

REFELLITUR.

Quæque dicta sunt hucusque, hæc nota Casuistis
facile diluitur: nam ex iis omnibus opinio-

nibus, quas adversarii supra Casuistis exprobrant,
tres aut quatuor dumtaxat adnotavi, quæ licet spe-
culativè probabiles sint, ad praxim tamen turè redu-
ci non possunt; totidè in praxi tutæ sunt, licet fortè
minus probabiles speculative; reliquæ omnes com-
munes sunt & probabiliores. His præmissis, respon-
sionem ad hanc objectionem ad certa capita reduco,
& majoris distinctionis gratia, numeros adnoto.

I. Negari non potest, à nonnullis auctoribus, ali-
quot opiniones excogitatas & publicatas fuisse, reli-
quis ferè omnibus refragantibus, quæ nullo modo
probabiles censendæ sunt, easque vel laxiores, & mitio-
res, vel duriores & strictiores, v.g. cuiuslibet errorem
suum esse probabilem; nullam legem humanam obli-
gare sub pena peccati mortalis, præceptum Ecclesia-
sticum jejunii non obligare sub mortali culpa; Prin-
cipes non habere jus vitæ & mortis; beneficia ratione
temporalis vendi posse; nullam simoniam de jure
Ecclesiastico subijci pœnis contra simoniacos latis; si-
ne ulius vitio posse aliquid accipi supra sortem, ra-
tione dilationis & privationis pecuniæ; probabile
materiam Baptismi esse lac, vinum, arenam, sangui-
nem, &c. non teneri Beneficiarios sub mortali expen-
dere superfluum in opera pia; non teneri etiam, o-
mnibus Horis Canonicis, restituere ante sententiam
Judicis; Portionem congruam Cardinalis esse 50,
vel 60. millium nummum, de qua non teneatur quid-
quam dare pauperibus; attritionem cum Sacramen-
to non sufficere, sine aliquo actu veræ & perfectæ
charitatis; quamlibet actionem, quæ à charitate pro-
fecta non sit, peccatum esse; rebaptizandos esse bap-
tizatos à Calvinistis, vel Lutheranis; nullam opinio-
nem probabilem tutam esse in praxi; dispensationes
negari posse sine causa, etiam cum maximo damno
supplicanti; non posse bona maximi momenti ar-
mis defendi sine peccato; absolutionem Sacramen-
talem dari non posse, nisi pœnitentia, eaque satis lon-
ga peracta; nullam legem humanam de consuetudine
abrogari; omitto multas alias, tum mitiores, tum
duriores, quæ nullo jure probabilitatis gaudent.

II. Negari etiam non potest, esse aliquas opiniones,
quæ licet utcumque speculative probabiles sint in praxi
tamen tutæ dici non possunt, id est, ut more vulgari
loquar, quæ sunt probabiles speculative, non practi-
cæ; sunt autem illæ, quas maxima pars classicorum &
gravium auctorum probabiles esse negat, aliquot e-
jusmodi supra attulimus, nulla autem ex his morum
corruptela timenda est, quæ cum ex pravo usu oritur
& nunquam illæ ad usum licitè reduci possint, nullam
unquam bonis moribus corruptionis labem conciliant.

III. Negari demum non potest, utrumque vitium fu-
giendum esse, nimiam scilicet laxitatis, & nimii rigoris,
utraq; extremitas vitiosa est; utra verò magis noxia;
erunt, qui nimiam laxitatem, erunt, qui nimiam duritiem
esse dicant; quod ad me attinet, ut damno utramque,
ita nimiam duritiem magis noxiam esse putarem; sine
enim, v.g. duæ opiniones oppositæ, quarum altera mi-
nor, altera durior sit; mitiorè sequi & amplecti pos-
sum sine peccato, modò verè probabilis sit; vel is, qui
eam sequitur, inculpabiliter probabilem esse credat;
igitur sive redacatur ad usum, sive non reducatur,
nullum peccati periculum est: at de duriore secus ac-
cidit; nempe ut possum illam sequi sine peccato, ita si
ad eam teneri me putem, etiam per errorem, illam o-
mittere non possum sine peccato; igitur magis noxia
est: nam mitior culpa semper vacat, sive illa utaris, si-
ve non utaris, durior verò culpa vacat si utaris, culpa
non vacat, si non utaris.

IV. Imò nimius rigor homines aliquando in despe-
rationem

rationem agit; ita enim illos deterret. ut ipsi salutem propriam negligant; cælum multis claudit, & viam Domini faciliore obstruit. Hinc prudentissimè Doctor Angelicus, quodlib. 9. art. 1. Omnis questio, inquit, in qua de peccato mortali queritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur: & Geslon. l. 4. par. 3. de vita spiritali lit. O. Doctores, inquit, Theologi non debent esse faciles, ad asserendum aliquas actiones vel omissiones esse peccata mortalia: nam per huiusmodi assertiones rigidas & duras, nunquam erunt homines à luto peccatorum; sed in aliud profundius, quia desperatius demerguntur; quid igitur expedit amari, gravius reddere, illud Christi jugum, quod suave est, & onus leve; præstabitur præterea sedulus servitii Deo, cuius mandata graviora non sunt: sed arcta est via, inquit, quæ ducit ad vitam, & regnū cælorum vim patitur; sed an hæc forte tibi levior videntur? à voluptatibus illicitis abstinere; tot præceptis divinis & humanis teneri; tot legibus civilibus & canonicis ligari; captivare intellectum in obsequium fidei; pro consensu momentaneo animam æternis cruciatibus addicere? nihil dico de confessionis rigore, ad quam peccator tenetur, ut peccatorum veniam obtineat?

V. Majores quidē pœnæ à peccatoribus publicis olim exigebantur; non certè ab omnibus, sed à reis quorundam criminū enormium; quamquam diversarum Ecclesiarū in hoc varia praxis fuit, de qua non est disputandi locus; quidquid sit, facile concesserim, penitentia publicæ usum olim viguisse in prædictis casibus, præsertim ab anno octingentesimo ad millesimum; sed nescio, utrum res felicius successerit; utrum eo tempore fideles meliores fuerint; utrum frequentior esset Christianarum virtutum usus; multa enim ex antiquis historiarum monumentis excerptimus, quibus barbari mores & nefanda flagitia illorū temporū evincuntur; nescio, utrum his temporibus purior esset castitatis amor, ferventior charitatis ardor, flagrantius pietatis, orationis & religiosæ perfectionis studium; vel ex uno Rhemenſi Concilio, cui Leo IX. Pontifex maximus præfuit habemus, quantum simonia studeant Episcopi, turpitudini Abbates, licentia Monachi, seculares omnibus vitis: sed esto; demus, felicitiora & sanctiora tempora fuisse; quidrum hoc sanè prædicto penitentiarū rigori tribuendum non fuit, quem si Conc. Trid. ad morum reformationē necessariū esse duxisset, dubio procul omni adhibuisset: non deest etiam nostri temporis rigor, licet enim multi Canones ad rigorem illum pertinentes longā defuetudine obſoluerint; alia tamē leges eaq; ferè innumeræ, à posterioribus Conciliis & Romanis Pontificibus conditæ, prioribus illis successerūt; quot amabō censurarum vincula injecta? quot inhabilitatum impedimenta? quot pœnarū genera? paucos invenias, quibus omnia comperta sint atq; perspecta: consule jus antiquū & novum, & ita esse competies.

VI. Præterea dicit, relaxari morum doctrinā; quin potius, dico, restringi; elige quamlibet materiā. g. simonia, ulura, &c. quis nescit, novis Pontificū decretis, non modò leges antiquas contra simoniacos & usurarios renovatas fuisse & confirmatas, verum etiam novas additas, & longè majores pœnas indictas; comparationē quæso institue, & videbis, utrum vera canā. Quod verò ad auctores pertinet, scio suarē antiquis Theologis strictiorē esse, ut jam indicavi supra, & Tho. Sanch. antiquis canonistis; deinde unum, vel alterum paulò liberius dictum ab ignoto fortè & nullius nominis scriptore, non probat morum doctrinā corruptam aut relaxatam fuisse, in qua duo sunt rerū genera: primum ea complectitur, quæ sunt juris divini & naturalis; alterū ea, quæ sunt juris Ecclesiastici; omitto enim illa, quæ sunt divinæ fidei, quod ad pri-

mum spectat, eadem modò est rei natura, quæ fuit antea; res ex natura sua turpis semper fuit, nec honesta fieri potest, eadem sunt principia; errorem fortè & ignorantiam oppones, sed non video, doctores fortè & ignorantes temporibus illis semibarbatis, quibus penitentia publicæ usum maxime vigebat: præterquam quod, licet ad doctrinam antiquorum minimè attingamus, illorum tamen libris instrui; ac proinde vix crediderim, per ignorantiam, hanc corruptelam induci, per malitiam, inquiri ablit, ut hæc notam doctissimis & piissimis auctoribus inuram, qui suæ salutis aded immemores non fuerunt, quod verò attinet ad aliud rerum caput, Ecclesiæ hæc illud modum præscribere, quem in legum Ecclesiasticarum observatione tenendum esse iudicat.

VII. Observo etiam, casus rarissimos esse, quibus tales opiniones favent: v.g. nonnulli liberant à jejuniis, qui labore illicito confectus, moraliter jejuniare non potest, quod nunquam ferè, vel rarò contingit; nonnulli homicidiū permittunt, sed cum iusto moderamine inculpatæ tutelæ, pro defensione suæ vitæ rerum, hæc magni momenti, quas aliter servare nequeat: item alii qui iustum compensationē, sed ea lege, ut quis certum sibi hoc debet, & omni spe careat aliter obtinendi, ut demum omne scandalū ablit, quis amabō dicat, interdum morum doctrinā relaxari? rarissimi sunt casus, in quibus ut juri alterius consulatur, aliquid excusationis Cæsar approbant: sunt autē innumeri & frequentissimi, quibus nullam excusationē admittunt, nec à culpa liberant: an fortè, vel hoc nomine illos accusabis corruptorū morū doctrinæ? & exclamabis, ita omnia modò relaxata, ut amplius nesciatur, quid licitū, quid illicitū sit: immo sane, de casibus ferè innumereis nulla est controversia: nonnulli problematice disputantur, quæ si verò in omni disciplina genere, exceptis geometricis, hoc non fuisse quidrum? an fortè inde nō constat, quid licitū sit, & quid illicitum, peripicua; nam si opinio verè probabilis est, licet de illius veritate probabiliter utrinque disputetur, tamen constat, illius usum licitum esse: & certum sum, me opposui prudenter, quando ex opinione verè probabilis opter.

VIII. Hoc etiam emittendum esse non potui, licet ita varios esse hominum sensus, ut unus & idem finis sit in uno argumento, & laxior in alio; ab exemplis abstinco, quia sunt obvia, & vix unum in venias, qui laxiorem conjugatō rigorem non temperet; inde charitati cōsultandum, sed iustitiæ faciendum satis, nec si charitati late te censendus est, qui sumum jus moderatè & legitime tractat; antiqui Canones servandi, sed ii dumtaxat, qui nec revocati sunt, nec defuetudine abrogati, nec prædicti Ecclesiæ usui repugnant: præterea, unde constat, Canones Concilii cujuspiam Provincialis, Epauensis, Masticoensis, Ilerdensis, &c. ab universali Ecclesiā receptos ad eum, & approbatos fuisse; itaq; ut uno verbo concludam, moralis Theologus summā prudentiā, doctrinā & pietate instructus esse debet. Prudentia rerum petitiā, experientiam, multamque circumspectionem desiderat: nec minus sollicitum esse oportet, ne graviora onera imponat, quàm ne à Christo, à Deo, ab Ecclesiā impulsus minuat: imò longè majus peccatum est injustum onus imponere, quàm de iusto aliquid bona fide minuire; quemadmodum gravius delinquit Judex, si plectit innocentem, quàm si mitius reum puniat: doctrina multa complectitur, scilicet sacros Canones, sed obſoleti ab iis quibus in usu, probè discernantur: SS. Patrum scripta, Theologos, Scholasticos & Morales, moralem etiam Philosophiam, sacram eruditionem, &c. pietatem denique, probatos mores, charitatem, zelum animarum, quem tamen discretū esse oportet, prudentē, peritum, patientem, ne si fortè indifferetis sit, animas addicat potius Diabolo, quàm lucretur Deo: Caluſta igitur, Pauli exemplo, sit omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrificat.